Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2045

Quelle:
Copyright:

linquatur in fronte, & eundem (unde) *ſe putant habere aliquam gloriam uel decorem, inde turpitudinem & ignominiam contrahant. Similiter & mulieres caput ligantes ut ſcutum, ut frons tanquam uallis inter duos ſubſidat colles, ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia honerentur auro, ut ceruicem premant catęne uel lapides, et pedibus ſanguinęe calciamentis flammulę rutilent. Quis uſus in his, quę utilitas inuenitur, niſi ſola inanis pompa & mens deſiderio infantili corrupta.* Fol. 6. p. 2. Item in Libro II. *Certe omne peccatum ſine dęmonis operatione non fit, quę omnia opera diaboli, uel eius pompas eſſe intelligimus. His ergo malis ſe homo expediens has catenas poſt dorſum ſuum uelut in faciem projiciens inimici jam ſincera uoce pronunciat: Credo in deum patrem omnipotentem & reliqua. De fide enim ſicut in eodem ſymbolo continetur, pleniter ad fidem quisque atque ad baptiſma peruenire deſiderans inſtruendus eſt pariter et docendus, ut breuitatem ſymboli in corde memoriter teneat, quod cotidie dicat aput ſemetipſum, antequam dormiat, cum de ſomno ſurrexerit, quod omnibus horis in mente habeat, ſimiliter & orationem dominicam, & ſignaculum* (crucis) *quo ſe contra diabolum muniat.* Fol. 11. In Lib. ad. Competentes: *Symbolum eſt commonitorium fidei & ſancta confeſſio, quae communiter ab omnibus tenetur et diſcitur.* Fol. eod. p. 2. in Libro Primo. *Cur exorcizatur, niſi ad conſequendam gratiam praeparatur; per exorciſmos enim ueluti per ignem purgantur, quia ignita ſunt eloquia domini, ex quibus ſunt exorciſmi compoſiti.* Haec in Codice de *Niceta* reſtant, quibus addidiſſem e *fol.* 7. p. 2. Expoſitionem Symboli, et e *fol.* 18. Epilogum totius Opuſculi opportunis monitis ad Clerum refertum, niſi illud ex integro dignum cenſerem, quod in aliquo Bibliothecae PP. Auctario lucem aliquando adſpiciat. Nunc ad *Nicetam* tantiſper reſpicere liceat. Dum enim haec ſcripſiſſem, adlatum eſt mihi *Patavii* Typis Seminarii nuper MDCCXCIX. excuſum in 4. Opuſculum inſcriptum: *Explanatio Symboli Beati Nicetae Aquilejenſis Epiſcopi Habita Ad Competentes*, manu, ut habet Praefatio italica, Em. Purpurati *Steph. Borgiae*, literatiſſimi literatorum hominum fautoris, e Codice *M S. Chiſiano* membran. in 4°. Seculi XIV. deſcriptum. Gaudebam enim vero, memoriam ſancti Praeſulis eodem paene tempore cum a me, tum alibi rurſus excitari; non poteram tamen conſentire in τὸ *Aquilejenſis*, quod ſi Codex *Chiſianus* praefert, certo σφαλμα eſt, ſcribendumque fuerat aut *Daciae*, aut *Civitatis Romatianae* cum *Gennadio*, aut *Romeſianae* cum Tabula *Peuting.* aut Ῥεμεσιάνης τῆς Δακίας cum *Actione I. Concilii Chalced.* T. IV. *Concill. Labb.* edit. *Venet. col.* 892. quam Civitatem cum *Aquileja* conflare adgreſſum Card. *Baronium* in *Notis Martyrolog.* ad 22. *Jun.* emendavere *Papebro-*